



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In  
Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Fouillon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

I. A bono non nisi bonum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](http://urn.nbn.de/hbz:466:1-54992)

## PARS SECUNDA.

### Officia bonæ Voluntatis.

#### SECTIO PRIMA.

##### Primum Officium,

*Acquiescere Deo sive sese resignare, in malis  
pœnæ quibuslibet, etiam per malam  
hominum voluntatem inflictis.*

I.  
*A bono  
non nisi  
bonum.*

**Q**uisquis hoc firmiter crederet, & menti imprimeret: Mala quæ vel sibi, vel neceſſitudine aliqua conjunctis, eveniunt, ex destinata ac speciali Dei providentia evenire, non difficulter suam illi voluntatem quietè ac demissè confirmaret. Sic enim ratiocinaretur. Deus hoc voluit: Deus bonus non potest nisi bonum velle: bonum ergo hoc est, quod accidit. Si bonus est, qui voluit; malus ego sim, qui nolim. Si bonum est, quod Deus vult; stultus ego sim, si nolim, quod bonum est. Ex tam bona cauſa effectus non potest esse, nisi

D 3

bonus.

bonus. Vident Beatorum multi è cœlo animas amicorum suorum apud inferos, Christus Judam, Jonathas Saülem, David Absalonem, tranquilli tamen ac læti vident: nobis idem accidet, cùm in cœlo erimus. Unde ea ex tam tristi spectaculo tranquillitas? Sciunt à Deo esse, & malum esse damnatis, non tamen malum in se, quia bonus est Dominus, & omnia, quæ vult bonus, bona sint necesse est. Animæ in Purgatoriis ignibus summâ propensione feruntur ad videndum Deum, nollent tamen obscuros illos carceres exire, nisi per se, aliósve, justitiæ divinæ ad libellam satisfecerint: quia sciunt Deum aliter nolle, & bonum esse sciunt, quidquid Deus vult.

II.  
Calamita-  
rum gene-  
ra due.

Idem nobis, ex ejusdem veritatis cognitione, faciendum est in hujus vitæ calamitatibus. Earum duo sunt genera: aliæ enim ab ipso Deo immediate, ut vulgo loquimur, accidunt; aliæ, mediate. Immediate à Deo profici dicuntur, quæ per caussas naturales & necessarias fiunt, ut ab aëre, à ventis,

ab